EPISTOLÆ DUÆ

AD

Celeberrimum Doctiſſimumque Virum

F—— V——

Profeſſorem Amſtelodamenſem

SCRIPTÆ.

Quarum in alterâ agitur de Editione Novi Teſtamenti à Clariſſimo BENTLEIO ſuſceptâ, omneſque ejus, adhuc in lucem emiſſæ, Conjecturæ de ſacro Textu examinantur.

In alterâ vero multæ de corruptis (uti videntur) Epiſtolarum Novi Teſtamenti locis conjecturæ, jam primum editæ, proponuntur.

LONDINI:

Proſtant venales apud FRANCISCUM CLAY, Bibliopolam, ad Inſigne Bibliorum extra Templi-Portam. MDCCXXI.

A D

Celeberrimum Doctissimumque Virum

F——— V———

LECTORI.

EPISTOLÆ hæ, quas tibi in manus do, Lector benevole, quem parentem habuerint, verè possum dicere me prorsus nescire: itaque, quo more apud nos Infantes, nullis cognitis illorum parentibus, publicè aluntur; eo etiam has Epistolas incerto patre natas profero, ut communi curæ sint, publicique in tutelam tradantur. Si quid in illis legendis invenies, quod probari possit; si quid verisimile ibi novumque idem occurrat, sit precor Authoris (ut pro ignoto supplex fiam) levioribus peccatis venia; mihique interim non minùs faveas, qui doctorum quorundam authoritate inductus, has Epistolas typis imprimendas curaverim. Jubent illi quidem (nec ego is sum, qui tantis viris adversari audeam) ut Lectores hîc in principio de duabus rebus dignis observatu moneam. Primum enim, inquiunt, notandum est harum Epistolarum Scriptorem passim Clarissimi Bentleii famæ consulere: nihil hîc simultatis, nihil non gratiæ potiùs speciem fert: de illius scriptis solùm, non de ipso, quæ-

ſtio inſtituitur; ut prorſus hoc amici videatur cum amico certamen: Non omnia Author hic putat ſibi in ſcriptis ſuis licere; nec minùs laborat, ut, in quo laudandus eſt Bentleius, ſatis laudetur, quàm ut, in quo vituperandus (ſeu potiùs monendus) ſit, ſciat ſe errâſſe, propriiſque ſuæ gloriæ terminis, ne longiùs excurrat, circumſcribatur. Aliud eſt denique de quo te monitum velim; nempe has Epiſtolas, quamvis pluribus abhinc menſibus ſcriptas, non ante in publicum prodire, quàm futurus ille Novi Teſtamenti Editor magnam & amplam ſatìs ad opus ſuum ſuſtentandum ſubſcribentium (ut vocant) copiam ſibi comparâſſet. Jam poſt tantum temporis elapſum nihil hinc, vel ex quovis contra ſe ſcripto libro detrimentum capturus eſt: quocirca his Epiſtolis forte monitus eſſe poteſt, læſus certè non poteſt. Si igitur binæ hæ Epiſtolæ hoc aſſequantur boni, ut Criticorum ille facilè princeps ſuas de Novo Teſtamento conjecturas minori cum fiduciâ, ſaniori verò cum judicio efferat; nemo ſanè, ne ipſe quidem Bentleius, ſi ad veritatem indagandam penitus ſe accingat, iis, quæ hic legit, iraſcetur. Authorem earum quod attinet, (quantum ex ejus ſcriptis licet conjicere) video illi non ingratum fore, ſi illud magni Bentleii opus omnes literatos fautores habeat, ſuumque ipſe munus ita expleat, ut dignum prorſus tot tantiſque fautoribus videatur.

Hæc ſolùm, Lector, in præſens dicenda habeo: vale igitur, & utrique nos, Ego in libros accuratè imprimendos, Tu verò utiliter legendos, ſedulò incumbamus.

Cele-

Celeberrimo Doctiſſimoque

VIRO

Profeſſori Amſtelodamenſi

Phileleutherus Londinenſis

SALUTEM.

LITERAS tuas, Vir Doctiſſime, perlegi, quibus me ab Amſtelodamiâ ſaluratum nuperrimè voluiſti; ſentióque me illo affici gaudio, quo Meis etiam bonis ſoleo occurrere, cum Te diuturnâ febri levatum, tuamque valetudinem jam plenè confirmatam eſſe mihi ſignificas: veræ hoc amicitiæ eſt, te non ſolum curare, Ipſe ut ſalvus ſis, ſed ut Ego ob id lætus ſim; rectéque judicas me, qui ſemper, animus tuus quid agat, velim ſcire, velle etiam, corpus tuum recténe valeat, intelligere.

Rogas, quo in loco ſit apud nos Britannos Res Literaria: cui quid reſpondeam? pudet enim dicere, quod piget, te hortan-

te, tacere: fatendum eſt tamen ſcientiarum illam veterem ſitim paulum hîc jam reſtinctam videri, noſtroſque homines plerumque Divites malle quam Doctos audire: Laudaſne Horatium? bene eſt, inquiunt; ſcitè enim dixit,

O Cives, Cives, quærenda pecunia primum:
Si quadringentis ſex ſeptem millia deſunt,
Eſt animus tibi, ſunt mores & lingua fideſque,
Plebs eris.

Poſcíſne Juvenalem? protinus illaudatum illud non ſinunt,

Quantum quiſque ſuâ nummorum ſervat in arcâ,
Tantum habet & fidei.

Juvenemne aliquem ad arduum quoddam aut Philologiæ aut Philoſophiæ opus edendum hortaris? Inſtat ſubito & reſpondet, quid inde commodi, ſubductis omnibus impenſis, ad me ventu-rum eſt? Scilicet ea argenti cupido, quæ olim Bibliopolis ſolùm, nunc ipſis Authoribus inſedit; gloriaque, illa rerum bene geſtarum merces, aut in nullo aut certè in infimo loco à noſtris hominibus ſtultè prudentibus habetur.

Huic Literatorum vitio nuperrimus Actionum noſtrarum (ut vocant) fluxus & refluxus ortum dedit: in Auſtrali mari naufragia paſſi ſumus graviſſima; Pecuniarum enim & Scientiarum ſimul jacturam fecimus, nec rarior ex illâ tempeſtate Dives, quam Doctus enatavit. Sed huic querelæ finem facio; veſtras enim provincias eadem mali labes infecit, eodem modo (auditum loquor) apud vos publica fides ægrotat; de communi igitur morbo latiùs puto tacere, quàm nos invicem, amantes patriæ, dolore afficere.

Vehementer oras, ut literis ſignificem, *quid de futurâ Bentleianâ Novi Teſtamenti editione ſentiam.* Equidem Viri illius Doctiſſimi Celeberrimique & ingenio & induſtriæ & eruditioni magnæ faveo: nihil ferè ab illo vulgare, nihil humile, nihil non reconditum prodit: unum illum agnoſco veteres illos Criticæ gentis primarios, Scaligeros, Stephanos (addámne & veſtros Voſſios?) non ſolùm pari laude ſecutum eſſe, ſed ampliori etiam nonnihil obſcurâſſe.

De ſuo opere edendo Propoſita fidens evulgavit, quanquam nec æris ſui tenacior, nec à ſacris ſcripturis alienior ætas hîc cuiquam docto contigit: parat typos, chartam, atramentum, omnia nitidiſſima, & ex diverſis Europæ regionibus quovis pretio comportanda: tres aureos pretium ſui Teſtamenti ſtatuit, quorum unus jam in manu Editoris relinquendus eſt, cæteri, receptis duobus in Folio voluminibus, numerandi: ſapienter ſane (ut opinor) hanc cautam aggreſſus eſt viam, quandoquidem prudentis non eſt, in tam immenſo laborióſoque opere limando, & Famæ ſuæ & Pecuniæ ſimul periculum adire.

Opus ipſum quod ſpectat, multum ejus Induſtriæ tribuimus, aliquid de Inventionis gloriâ detrahimus. Optimos quoſque Græcos codices ſcriptos, quibus ad ſuam Editionem formandam uſus eſt Millius, iterum examinandos curavit: quatuor vetuſtiſſimos, Editoribus adhuc omnibus ignotos, aut per ſe, aut per amicos ſuos accuratè contulit, & ex pluribus quàm triginta MSS Latinis, omnibus ferè ad ſeptimum ſeculum aſſurgentibus, variantes Lectiones collegit: hiſce adminiculis credibile eſt illum, præſertim omnes variantes Lectiones Græcas cum Latinis comparantem, poſſe nobis ubique fere puriſſimum textum exhibere. Sed hoc non ſatìs habet: plus de ſe fidens promittit: ſpondet ſe nobis & Origenis exemplar Græcum, & Latinam verſionem ab Hieronymo caſtigatam ad verbum pene daturum: nempe ille ſibi jam valde perſuaſit, in illiuſque animo fixum immotúmque ſedet, Hieronymum Latinas ſui temporis verſiones ad Origenis aliquod exemplar accuratum & illuſtre per omnia aptâſſe, imò & ipſum ordinem verborum (tanquam qui in eo myſterium latere cenſuerit) ita inſtituiſſe, ut in Græco Codice Origeniano, ſuoque Latino caſtigato paria paribus ſemper reſponderint. Hoc Cl Bentleius fidentius opinor, quàm tutò affirmat. Vulgatæ verſionis (vel verſionum, ſiquidem plures ille fuiſſe contendit) ante Hieronymi tempus factæ Authores fatendum eſt plerumque verbum de verbo reddidiſſe, etiam ordinem verborum in Græcis Manuſcriptis occurrentem ſervaſſe. Huic opinioni nemo ſanè eſt, qui adhuc repugnavit, ſaltem qui non victas manus dabit, cum aut codicem Novi Teſtamenti Claromontanum Græcum & Latinum, aut antiquas illas Ignatianarum Epiſtolarum, aut Irenæi operum verſiones inſpexerit: nimis in hâc re fidi fuere veteres Interpretes, Græca

omnia Apoſtolorum & Patrum, vel cum periculo Latinitatis, accuratè reddentes. Sed hoc Cl. Bentleio non ſufficit: notum ſcilicet hoc & vulgare eſt: quærit aliquid, quod ſibi ſoli in laudem cedat: Hieronymum vult non inveniſſe, ſed feciſſe ordinem verborum; non ſolùm Latina exemplaria ſenſûs, ſed etiam ordinis causâ reformâſſe: ille ſuam ſententiam tuetur verbis ipſis Hieronymi in Epiſtolâ quadam de optimo genere interpretandi, ubi ſic ſe habent, *Liberâ voce profiteor me in interpretatione Græcorum, abſque ſacris ſcripturis, ubi & ordo verborum myſterium eſt, non verbum è verbo, ſed ſenſum exprimere de ſenſu.* His Hieronymi verbis nititur Bentleius; ſunt autem, qui opinantur verba *abſque ſacris ſcripturis ubi & ordo verborum myſterium eſt*, non eſſe Hieronymi: vocem enim *abſque* pro *niſi in* nullibi, inquiunt, apud Latinæ linguæ peritos invenies. Sed demus id Bentleio, verba eſſe genuina; nihil, vel hoc conceſſo, ſuo figmento profuturus eſt. Apertè enim nos docet Hieron: in Epiſtolâ ad Damaſum huic verſioni caſtigatæ præfixâ, ſe, *iis ſolum, quæ ſenſum videbantur mutare, correctis, reliqua manere paſſum eſſe, ut fuerant:* hîc negat ſe unâ aliquâ in re id feciſſe, quod ibi ſe ſolitum facere universè affirmat: verbáne igitur illa generaliter enunciata plus valebunt ad nos docendos, quo animo fuiſſet Hieron: in caſtigandâ vulgatâ verſione, quàm hæc, quæ in principio ejus operis poſita ſunt, quæque ejus tunc temporis ſententiam, cum caſtigaret, plenè declarant? Putandum eſt, ſcilicet, aut Hieronymum, poſt caſtigatam illam verſionem, ſententiam ſuam mutâſſe; & judicaſſe, cum jam ſenior eſſet, etiam ordinem verborum in S. S. myſterio non carere, contra quàm anteà, cum Epiſtolam ad Damaſum ſcripſerit, judicâſſet: Aut (quod mihi verum videtur) duo hæc Hieronymi loca ſibi non male conciliari poſſunt: de eo enim ſolo loquitur in Epiſtolâ à Bentleio citatâ, quod facere ſoleret *in interpretatione ſacrarum ſcripturarum:* num vero Hieronymus in N. T. Interpretis functus eſt munere? Nemo ſanus hoc dicit: Latinam verſionem caſtigavit, non novam fecit. Eſto igitur; Interpretis officium cenſuit eſſe in S. S. etiam ordinem verborum ſervare, num ſequitur illum cenſuiſſe idem faciendum eſſe ſibi, cum ſolas reformantis partes ſuſtineret? Equidem opinor Hieronymum in illis verbis ſuam V. T. juxta LXX interpretationem reſpexiſſe; hanc enim

& Auguſtinus & Ruffinus *interpretationem* vocant: Patet igitur ex ſolâ illâ Hieronymi Epiſtolâ ſuo Latino Exemplari præfixâ cognoſcendum eſſe, quid ipſe in illo emendando fecerit. Neque hæc, vir doctiſſime, dico, ut opus Bentleianum improbem (quod & arduum eſſe ſcio & utile futurum ſpondeo;) ſed ut ipſum redarguam ſeſe in hac parte nimis efferentem, magnique laboris gloriâ non contentum, inventi cujuſdam ex Hieronymi ſcriptis ſibi primum occurrentis gloriam appetentem.

Hæc ſatis de MSS Bentleii ejuſque textûs emendandi modo: Conjecturas de locis corruptis nulliuſque codicis authoritate ſanandis quod attinet, eas in Prolegomenis fuſiùs daturus eſt. MSorum lectiones veras in Textum inducere, cujuſvis ferè hominis eſt; MSorum ex veſtigiis incertis quaſi certa colligere, mediocris Critici eſt; ſed *ſine cortice* (ut aiunt) *nare*, nulliſque codicibus adjutum, ſolâ divinandi facultate & ingenii acumine ſuſtentatum poſſe obſcuris lucem dare, corruptis medicinam, hoc Cl. Bentleii ſolius eſt, aut ejus etiam qui huic noſtro perquam ſimillimus eſt. Sed in hâc Critici officii parte, quæ conjecturâ ſolâ nititur, non omnia ſemper vel doctiſſimis viris ſatis ex ſententiâ procedunt: incerta ſunt omnia, nihil fixum ratumque eſſe poteſt: ſatis feliciter rem attigit, qui aliquid, quod probari poſſet, attulit: quapropter liberum ſit, oportet, judicium Lectoris, nec Critico conceditur ſuas conjecturas tanti facere, ut nolit Oraculum Apollinis aliquid verius pronunciâſſe. Scaligerum memini in Epiſtolâ quâdam ad amicum ſcriptâ locum S^ti^ Matthæi conjecturâ emendâſſe, itâque ob id ipſum jactanter triumphâſſe ut diceret, *eum qui in poſterum de verâ loci Lectione dubitaret, aut ſtultiſſimum aut improbiſſimum eſſe oportere.* Hanc tantam arrogantiam (quod enim lenius nomen huic levitati tribuendum eſt?) nemo eſt tam patiens, tam omnia ad aliorum arbitrium referens, ut æquo animo ferat, ut eam non vel maximo cum faſtidio videat: eoque magis, quia multis (mihi certè, ut ego me vel ſtultitiæ vel improbitatis inſimulari patiar) non placet iſta Scaligeri conjectura. Simili modo ſi ſuos Lectores alloquatur Bentleius, non iis uſurus eſt benevolis, non amicis. Veraſne proferet conjecturas? eæ per ſe ipſæ placebunt: ſin quid falſi ferat, adhæreſcet maximè hominum faſtidiis error vanitati conjunctus. Equidem in illo arbitror eſſe & acumen Criticum & Eruditionis copiam: ſed (liberè dicam quod ſentio)

ſentio) ex iis quæ adhuc ab illo vulgata cognovi, mihi videtur feliciori quidem calamo profanos, quàm ſacros authores emendâſſe. Horatium innumeris prope in locis perpolivit, Menandri Philemoniſque reliquiis multum & lucis & ſanitatis reſtituit, ſed ea quæ in codicibus ſacris tentavit, Bentleii ſomniantis ſpeciem præ ſe ferunt. Quatuor aut quinque ſunt (nec plura, opinor) loca Novi Teſtamenti, quæ ſparſim in operibus ab illo editis ſananda ſuſcepit: in his omnibus mihi videtur conjecturas (dicamne?) ignarè feciſſe, vir omnium eruditiſſimus; an imperitè, vir omnium in critico munere verſatiſſimus? Equidem in illo conjiciendi vim admiror, nonnihil deſidero diligentiam: eſt enim ubi temerè feſtinanterque nimis judicium ſuum protulit; eſt ubi formulas loquendi in Novo Teſtamento occurrentes ad puriorum authorum Græcorum inſcite voluit accommodare: uterque hic Error editori ſacrorum librorum minimè convenit, uterque tamen Cl. Bentleio videtur inſediſſe: ſcilicet jamdiu Criticæ artis Primarius audivit; hinc ſuâ authoritate fretus, omniaque fidenter ſuetus efferre, veris non rarò falſa commiſcuit; adde quòd in legendis optimis authoribus Græcis inſenuit; hinc Judæorum Græcè loquentium phraſes, cum eas non puras videt, genuinas eſſe non cenſet: nec videtur id obſervatum habere (quod certè N. T. tractantem decet) ſenſum vocum Apoſtolicarum ex Hebræo fonte petendum, Græcamque linguam Evangeliorum & Epiſtolarum non modò diverſam, ſed pene aliam eſſe ac illam Demoſthenis & Platonis.

Vin' tu igitur, vir doctiſſime, ut paucas illas magni Bentleii conjecturas ad examen revocem? ſententiam ejus de ſingulis primum afferam, deinde quid ego contrà habeam, explicabo; utrius noſtrûm melius ſe defendit opinio, tu ipſe ſine aut odio Bentleii, aut amore mei judica: nihil de verâ ejus laude ſoleo detrahere, nihil tamen falſæ ei tribuendum velim. Sed propoſitum ſequor.

1. §. In 1 Tim. vi. 3. occurrit Εἰ τὶς ἑτεροδιδασκαλεῖ, καὶ μὴ ΠΡΟΣΕΡΧΕΤΑΙ ὑγιαίνουσι λόγοις τοῖς τοῦ Κυρίου ἡμῶν, &c. Cl. Bentleius (in quodam opere ſuo, quod nomen Phileleutheri Lipſienſis præ ſe fert) ſuſpicatur legendum προσίχεῖ, vel προσέχεῖ, vel potius προσέχῃ, multaque affert loca N. T. ubi προσέχειν in hoc ſenſu uſurpatur. Non equidem dubito quin, ſi D. Paulus ſcripſiſſet προσέχῃ, bonâ & eâdem notâ locutione uſus eſſet: liberè

liberè etiam agnoſco προσέρχεσθαι in hoc ſenſu Apoſtoli Græcis aliis ſcriptoribus ignotam eſſe. Sed de Græcâ phraſi Hebräizantium hîc quæſtio eſt: προσέρχεσθαι propriè ſignificat *accedere ad aliquid*, ſed in N. T. & in LXX verſione non rarò accipitur pro *adhærere ei, ad quod quis acceſſit*, exempla hujus ſenſûs nulla adhuc allata eſſe Bentleius affirmat, ad ea igitur afferenda me accingo.

In Syrac. cap. 1. com. 28. legimus, Μὴ ἀπειθήσῃς φόβῳ Κυρίου, καὶ μὴ ΠΡΟΣΕΛΘΗΣ αὐτῷ (ſc. φόβῳ Κυρίου ut docet com. 30.) ἐν καρδίᾳ διπλῇ: & iterum com. 30. Ἀποκαλύψει Κύριος τὰ κρυπτά σου, καὶ ἐν μέσῳ ζυναγωγῆς καλαβαλεῖ σε, ὅτι οὐ ΠΡΟΣΗΛΘΕΣ φόβῳ Κυρίου, καὶ ἡ καρδία σου πλήρης δόλου. Hæc à Syracide dicuntur Judæis, qui ab ipſorum incunabulis acceſſerant ad Mosäicam legem (quam vocat hic *timorem Domini*:) de iis igitur continuandis in eâ Religione, non de accedendis ad eam, loquitur ſapiens hujus libri author: rectéque poteris reddere προσέρχεσθαι τῷ φόβῳ Κυρίου *adhærere timori domini*.

In N. T. Act. cap. x. com. 28. legimus, Ἀθέμιτόν ἐστιν ἀνδρὶ Ἰουδαίῳ κολλᾶσθαι ἢ ΠΡΟΣΕΡΧΕΣΘΑΙ ἀλλοφύλῳ. Hîc ſi velis verba ἢ προσέρχεσθαι delenda eſſe, quoniam in verſione Syriacâ non apparent, utpote quæ locum ſic exprimit, *non eſt permiſſum homini Judæo, ut ſe adjungat homini alienigenæ*, tum mihi concedendum eſt vocem προσέρχεσθαι in textum MSorum irrepſiſſe è margine, ubi poſita fuiſſet ad exprimendum ſenſum vocis κολλᾶσθαι: meoque argumento fidem facit, quòd in primâ Eccleſiæ ætate voces iſtæ idem ſignificare viderentur. Sin velis retinere (ut retinenda puto) verba ἢ προσέρχεσθαι, neceſſe eſt, ut recipiamus eum verborum ſenſum quem profert verſio Coptica *aut ambulare cum*. Mihi enim nequeo perſuadere, Apoſtolum, cujus verba hæc ſunt, putâſſe ſibi aut ulli Judæo non licuiſſe ad homines alienæ gentis accedere: certè *iis adhærere, & ſe conjungere, & cum iis ambulare* nefas fuit; ſed, non conceſsâ licentiâ ad eos accedendi, quî fieri potuit ut quiſquam Proſelytus eſſet, aut ut commerciorum negotia bene ſe haberent?

Inſpiciamus porrò Heb. cap. x. com. 1. ubi occurrit Ὁ νόμος δύναται τοὺς ΠΡΟΣΕΡΧΟΜΕΝΟΥΣ τελειῶσαι. Quid? de accedentibus ad Legem credibile eſt Apoſtolum loqui, an de iis qui jamdiu ſub Lege fuerant, & qui legem etiam tum obſervârunt?

vârunt? Judæos cultores ſpectat omnis hæc Apoſtoli oratio; mihique videtur idem velle per οἱ προσερχόμενοι in hoc commate, quod in ſequenti vult per οἱ λαλοῦντες, ſc. eos qui ſe Legi Moſäicæ addixerant, eique adhærebant, qui colebant Deum ſacrificiis juxta normam divini cultûs à Möyſe inſtitutam.

Tribus igitur his exemplis fretus vulgatam Lectionem tueor, Bentleiumque cenſeo paululum errâſſe, cum ſenſum vocis προσέρχεσθαι in hac ad Timotheum epiſtolâ non ex idiomate Hebräico, ſed ex Atticorum ſcriptorum elegantiâ colligeret.

2. §. In Jacobi cap. v. com. 6. legimus, κατεδικάσατε, ἐφονεύσατε τὸ δίκαιον· ΟΥΚ ἀντιτάσσεται ὑμῖν. Si vice ΟΥΚ (inquit Cl. Bentleius ſub nomine Philoleutheri Lipſienſis) aliquis MSus exhiberet ΟΚΣ, i. e. ὁ κύριος, locus hic, qui ſemper Commentatoribus moleſtiam exhibuit, tandem clarus cæteriſque cohærens invenietur. ἐφονεύσατε τὸ δίκαιον· ὁ κύριος ἀντιτάσσεται ὑμῖν. *interfeciſtis juſtum: dominus ſe vobis opponit:* ſic ille legit, ſuamque conjecturam firmare vult verbis pene iiſdem Jacob. iv. 6. & 1 Pet. v. 5. Ὁ Θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται. Sed mihi nihil videtur mutandum: cum enim per τὸ δίκαιον intelligendus eſt Chriſtus (ſic vocatur in Matt. xxvii. 19, 24. in Luc. xxiii. 47. in Act. iii. 14. & xxii. 14. & præcipuè in Act. vii. 52. ubi eadem pene, quæ hic, verba legimus, Περὶ τῆς ἐλεύσεως τοῦ δικαίου, οὗ νῦν ὑμεῖς προδόται καὶ φονεῖς γεγένησθε.) cum, inquam, juſtus ille eſt Dominus noſter Chriſtus, non video cur ΟΥΚ in ΟΚΣ ideo vertendum ſit, ut ὁ Κύριος in textum admittatur; ſenſus enim vocis Κύριος ineſt in voce δίκαιον: quod ſi diſplicet aut Tibi aut Bentleio particula οὐκ, clauſulam efficiens negantem; facilè hujus particulæ negantis vis tolli poteſt, ſi punctum interrogandi ad finem ſententiæ ſic ponas, κατεδικάσατε, ἐφονεύσατε τὸ δίκαιον· οὐκ ἀντιτάσσεται ὑμῖν; *condemnâſtis, interfeciſtis juſtum; annon ille vobis ſe opponit?* Hoc eſt, Num ille Chriſtus, ille Juſtus, quem, nullâ inventâ mortis causâ, cruci affixiſtis, non vobis ſuis interfectoribus nunc, quum in cœlis eſt, reſiſtit? num non vobis, Divites, exitium modò adventurum parat? Vos igitur (convertit enim orationem Apoſtolus ad Chriſtianos in com. 7.) vos, qui Chriſti cultores ſunt, patientes ſitis uſque ad adventum Domini illius Juſti, qui in Hieroſolymæ exciſione jam appropinquanti & ſe & vos de communibus hoſtibus vindicabit. Hoc ſenſu opinor Apoſtolum locutum eſſe:

num

num igitur Bentleii conjectura, an mea melius loco convenit? imò annon dici poteſt, me nihil omnino mutâſſe, cùm puncta in veteribus MSis nulla ſunt; ſed ad cujuſlibet Editoris mentem appoſita ſunt, ad meam etiam mentem eodem jure nunc apponenda?

3. §. In Judæ epiſtolâ, com. 18. ſic ſe habet textus, Ἐν ἐσχάτῳ χρόνῳ ἔσονται ἐμπαῖκται, κατὰ τὰς ἑαυτῶν ἐπιθυμίας πορευόμενοι τῆς ΑΣΕΒΕΙΩΝ. Vice ἀσεβειῶν mavult Cl. Bentleius in prædicto loco legere ΑΣΕΛΓΕΙΩΝ, *cupiditatum laſcivarum & obſcœnarum.* Ita enim, inquit, habemus, in 1 Pet. iv. 3. πεπορευμένους ἐν ἀσελγείαις, ἐπιθυμίαις. Et in 2 Pet. ii. 18. ἐν ἐπιθυμίαις σαρκὸς, ἀσελγείαις. Hunc locum inquinatum eſſe facile illi aſſentior, ſed de medendi viâ totus ab eo diſcedo. Videamus enim Tu & Ego, (liberè quidem, quoniam hoc eſt Amici cum Amico commercium Epiſtolicum) de cupiditatibuſne obſcœnis, an de Impietate propriè dictâ loquatur Apoſtolus. *De his*, inquit Judas, *prophetavit Enochus dicens*, Ἰδοὺ ἦλθε Κύριος ἐν μυριάσιν ἁγίαις αὐτοῦ, ποιῆσαι κρίσιν κατὰ πάντων, καὶ ἐξελέγξαι πάντας τοὺς ΑΣΕΒΕΙΣ αὐτῶν περὶ πάντων τῶν ἔργων ΑΣΕΒΕΙΑΣ αὐτῶν ὧν ἠσεβησαν, καὶ περὶ πάντων τῶν σκληρῶν ὧν ἐλάλησαν κατ' αὐτοῦ ἁμαρτωλοὶ ΑΣΕΒΕΙΣ. *De* iis, ſc. *qui negant Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, com. 4. de iis, *qui dominationem ſpernunt & majeſtatem blaſphemant*, com. 8. & de iis, *qui murmuratores ſunt, queruloſi, ſecundùm deſideria ſua ambulantes, & os eorum loquitur ſuperba, mirantes perſonas quæſtûs cauſâ*, com 16. Proximè autem ſequitur Ὑμεῖς δὲ, &c. q. d. Vos autem, fratres Chriſtiani, horum hominum impiorum exempla evitate, & reminiſcimini Apoſtolum Petrum vos olim de impio hoc hominum genere monuiſſe, idque futurum multo ante prædixiſſe. Numquid igitur hîc Judas de laſcivis & obſcœnis hominibus ſollicitus eſt? nihil minus, opinor: de impiis ſolis, i. e. de iis qui ſe Deo & humanæ authoritati opponunt, hîc oratio eſt. Sed ſi rem non attigit Doctiſſimus Bentleius, quid Ego de hoc loco ſtatuam, forſitan rogabis: Equidem cogito (nihil enim certi habeo) voces τῆς ἀσεβειῶν omittendas eſſe, quia D. Jacobus hìc citat verba Apoſtoli Petri in Epiſt. 2. cap. iii. & com. 3. ubi ſic ſe habent, ἐλεύσονται ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν ἐμπαῖκται, κατὰ τὰς ἰδίας αὐτῶν ἐπιθυμίας πορευόμενοι: vides verba τῆς ἀσεβειῶν non eſſe in illo Petri loco, unde nos Judas monet ſe ſententiam citare: ſentioque jam tandem verſionem Copticam meæ conjecturæ

favere, quia in illa binæ hæ voces penitùs non apparent. Fieri potuit, ut, cum Judas (æquè ac Petrus) per ἐπιθυμίας voluerit significare *voluptates impias*, aliquis in margine MSi apposuit τ̃ ἀσεβειῶν ad vocem textûs explicandam: unde in textum ipsum postea irrepsit ea marginis vox, ut sæpe alibi in SS contigisse, ex iis quæ in meis Commentariolis jam diu notata servo, possum forte vel reclamantibus persuadere.

Sed ad aliud transeo.

4. §. In Galat. iv. 24, 25, 26. vulgò legimus, Αὗ γάρ εἰσιν αἱ δύο διαθῆκαι· μία μὲν ἀπὸ ὄρους Σινᾶ, εἰς δουλείαν γεννῶσα, ἥτις ἐστὶν Ἄγαρ. Τὸ γὰρ Ἄγαρ, Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, συστοιχεῖ δὲ τῇ νῦν Ἱερουσαλὴμ, δουλεύει δὲ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς. Ἡ δὲ ἄνω Ἱερουσαλὴμ, ἐλευθέρα ἐστὶν, ἥτις ἐστὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν. Cl. Bentleius in Epistolâ quâdam ad Millium scriptâ, & Johannis Malalæ chronico affixâ sic locum hunc emendat —— ἥτις ἐστὶν Ἄγαρ· τὸ δὲ Ἄγαρ συστοιχεῖ τῇ νῦν Ἱερουσαλὴμ, δουλεύει γὰρ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς, &c. scilicet conjecturâ omittit voces Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, utpote olim margini MSorum appositas ad explicandum quo in loco esset mons Sina: in cæteris autem mutationibus habet optimos MSos consentientes. Sed hæc tanti viri conjectura mihi (fateor) non se satis probat: non ignoro locum, ut se hodie habet, non posse aut defendi aut explicari: conjecturâ sine dubio opus est: sed quam Cl. Bentleius protulit, ei nequeo assentiri (1°) enim vox δὲ post vocem συστοιχεῖ adest in omnibus antiquis Versionibus, & in omnibus optimæ notæ MSS. (2°) quid significet τὸ Ἄγαρ, non video: si de Agare muliere loquitur Apostolus, scripsisset opinor, ἡ δὲ Ἄγαρ: sin de monte aliquo Agaris nomen gestante, tum nullo sensu videtur dictum, eum montem συστοιχεῖν τῇ νῦν Ἱερουσαλὴμ. (3°) ut se habet conjectura Bentleiana, vox αὐτῆς in fine com. 25 referri non potest ad Ἄγαρ in principio com. 25, quia neutrius generis est: sed referenda est ad vocem Ἱερουσαλὴμ, quod est contra mentem apostoli, ut mihi & plerisque Commentatoribus videtur. Nequeo enim mihi persuadere, Apostolum aut cogitâsse, aut voluisse dicere Gentem Judaïcam in servitute esse: miserrimè serviebant Arabes ab Agare oriundi, sed Judæi etiam tum temporis jactabant se suis legibus frui, suisque Regibus parere: ut igitur hîc dicit Arabas servos esse, sic in fine com. 26 cùm dicit Saram *matrem esse omnium nostrûm*, sine dubio innuit

 neminem

neminem posse Judæos esse liberos negare. (4°) Si hujus magni Critici conjecturâ omittamus Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, & postea ἥ, ne sic quidem totus locus vitio carebit: cum enim Apostolus dicit com. 24. Μία μὲν, nihil est, quod ei respondeat: de uno fœdere cùm locutus esset Apostolus, silet prorsus de altero: certè nullibi sequuntur ἑτέρα ἥ, vel si quæ aliæ sunt voces, quæ antitheton & redditionem (ut vocant) sententiæ exprimant. Non satìs igitur medicam manum huic loco Vir Eruditus attulit: currente nempe calamo hæc scripsit; saniora, si quid spatii sibi ad meditandum dedisset, forsitan scripturus.

Rogásne jam, quid Ego ipse de hoc loco sanando sentiam? Equidem vix ausim dicere: ubi Cl. Bentleius male, Egóne ut sperem me posse bene? Egóne ita animosus, ut cum doctissimi viri moles has dejecerim, ipse aliquid fidens velim extruere? sed si tentanti, nihilque proficienti mihi ignosces, faciam (ut in formulis est) *quibus sciam poteróque*. Age igitur, da te mihi non solum Judicem, sed Amicum, ut iis, quæ forte judicium tuum non probet, Amicitia tua facilem veniam concedat. Totum locum sic legendum opinor. Αὗ γάρ εἰσιν αἱ δύο διαθῆκαι· Μία μὲν ἀπὸ ὄρους Σινᾶ εἰς δουλείαν γεννῶσα, ἥτις ἐστὶν Ἄγαρ (ΤΟΔΕ ΓΑΡ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, ζυστοιχεῖ δὲ τῇ Ἱερουσαλὴμ) δουλεύει γὰρ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς. Ἡ δὲ ΑΠΟ Ἱερουσαλὴμ ἐλευθέρα ἐστὶν, ἥτις ἐστὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν. Quod sic vertas licet. *Hæc enim sunt duo fœdera: unum quidem à monte Sina ad servitutem generans, quod est Agar (hic enim* (sc. mons) *Sina mons est in Arabiâ, & conjunctus est Hierosolymæ), servit enim cum filiis suis: hoc autem* (sc. fœdus) *ab Hierosolymâ liberum est, quod est* (Sara) *mater omnium nostrûm.* Primò cum Cl. Bentleio lego δουλεύει γὰρ (non δὲ) ad fidem omnium optimorum MSorum & Versionum. (2°) vice τὸ γὰρ Ἄγαρ: legendum censeo τόδε γὰρ: MSS enim Clar. & Ger. & Alex. & versio Coptica habent τὸ δὲ Ἄγαρ, alii τὸ γὰρ Ἄγαρ: vulgat. autem, & Hesychius in Lev. xix. utì etiam Hieron. Ambros. & tractatores Latini omnes omittunt Ἄγαρ ante Σινᾶ; unde vestigia veræ Lectionis videor sequi, cùm τόδε retineam, censeamque illud Ἄγαρ corruptè ex voce γὰρ natum fuisse. (3°) omitto vocem νῦν quæ fuit inter τῇ & Ἱερουσαλὴμ, quia versiones Arab. & Syr. eam omittunt: equidem arbitror illam hîc additam temerè ab aliâ quàm Apostoli manu fuisse, ut voces τῇ νῦν Ἱερουσαλὴμ meliùs opponantur vocibus

ſequentibus ἡ δὲ ἄνω Ἱερυσαλὴμ. (4°) pro ἡ δὲ ἄνω Ἱερυσαλὴμ legendum velim ἡ δὲ ἀπὸ Ἱερυσαλὴμ: levis eſt ſanè mutatio, nam in primis illis temporibus ο ſemper ferè pro ω ſcriptum fuit, ut in vetuſtiſſimis tum MSS, tum marmoribus videmus. Quod ſi legamus ἀπὸ, optimè, opinor, commata 24 & 26 ſibi invicem reſpondebunt: ut in ſequenti ſchemate facile videbis.

Com. 24.	Com. 26.
Μία μὲν	Ἡ δὲ
ἀπὸ ὄρυς Σινᾶ	ἀπὸ Ἱερυσαλὴμ
εἰς δυλείαν γεννῶσα	ἐλευθέρα ἐςὶν
ἥτις ἐςὶν Ἄγαρ	ἥτις ἐςὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν.

Secundum fœdus, hoc eſt Evangelium, bene dicitur ab Hieroſolymâ datum fuiſſe; quia id ibi primum Chriſtus ſuis diſcipulis communicavit: eodem igitur modo hoc ab Hieroſolymâ datum fuit, quo vetus illud à monte Sina: & hoc ipſum dicit vaticinium illud Iſai. ii. 3. Λόγος κυρίυ ἐλεύσεται ἐξ Ἱερυσαλὴμ. (5°) illa verba τὸ δὲ γὰρ Σινᾶ ὄρος ἐςὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, ζυσοιχεῖ δὲ τῇ Ἱερυσαλὴμ in Parentheſi incluſi; quia ea mihi videntur addita fuiſſe, ut Galatæ cognoſcerent, quo in loco, quâ in orbis regione iſte Mons Sina ſtetiſſet: vocem igitur ζυσοιχεῖ reddidi *conjunctus eſt*, ut eam reddit Vulgata verſio; cui ſimile eſt, quod habet verſio Arabica, *conterminus eſt:* nempe Judæa montibus continuis plena eſt; quapropter Sina mons à rubro mari incipiens, & perpetuo dorſo verſus montem Sionem ſe extendens, dici poteſt *conjunctus* eſſe Hieroſolymæ, præſertim cùm ii, quibus hoc dicitur, in longè diſſitis terræ regionibus habitent. Interim dubito, hæne voces in Parentheſi incluſæ, ab Apoſtoli, an ab alîus manu venerint: videntur quidem olim extitiſſe in margine, ut annotationi eſſent voci Σινᾶ in com. 24, & inde paulo poſt in textum temerè adductas fuiſſe: Sed omnes & verſiones antiquæ & MSi eas retinent: quapropter, me authore, non ejicientur: præſertim cùm ſenſum totius loci aut nihil, aut parum certè turbant, ſi modò credas Apoſtolum voluiſſe Galatis Aſiæ incolis notum facere, quo in loco ſitus eſſet mons ille Arabicus Sina, unde Judæis primum illud fœdus per manus Moyſis datum fuiſſet.

Hanc meam conjecturam ſi non probes, at eſt certè aliquid

in

in Bentleianâ quod tibi diſpliceat: memento, quæſo, me huc timidè acceſſiſſe, nihilque certi de me promiſiſſe: tam enim corrigi quàm corrigere volo, nec veritatem minùs amplector ab aliis, quàm à me ipſo deprehenſam.

5. §. Reſtat adhuc alius N. T. locus, non quidem à Cl. Bentleio malè emendatus, ſed malè, opinor, explicatus: in concione enim quâdam (optimâ ſanè & dignâ Authore) habitâ ab illo illuſtri Critico coram Academiâ Cantabrigienſi bene monet ille vocem πολλοὶ, cùm ſibi præfixum habet articulum οἱ, paſſim ferè in N. T. ſignificare non *multos*, ſed *maximam partem*, aut *omnes:* hoc verè obſervatum eſt in Rom. v. 15, 19. in Hebr. ii. 9. & ix. 28. & alibi. At in 2 Cor. ii. 17. (quod illi Concionis ſubjectum fuit, cujuſque gratiâ hoc obſervârat) non rectè mihi videtur Lectoribus velle perſuadere, voces οἱ πολλοὶ ſignificare aut *maxima pars* aut *omnes*. De ſolis Chriſtianis doctoribus ibi loquitur Apoſtolus; qui enim cauponantur verbum Dei, qui id quæſtûs causâ corrumpunt, non alii eſſe poſſunt, quàm qui id prædicant. Túne igitur, mi chariſſime, cenſes D. Paulum hanc tantam corruptelæ notam velle aut omnibus, aut pleriſque tunc temporis Evangelii prædicatoribus inurere? abſit, hoc ut vel Tu & Ego, vel Bentleius ipſe (modò rem attentè cogitet) dictum ab Apoſtolo credat: nulla ætas, nulla, inquam, multo minùs prima illa Eccleſiam ita contaminatam vidit: hæc nec Chriſtiani eſt, nec ad Chriſtianos vox & oratio: multi, fatemur, non tamen omnes, ſuâ etiam tum prædicandi licentiâ abuſi ſunt: hos ſolos Apoſtolus notat; reliquam verò, & eam longè majorem, partem Chriſtum verè prædicâſſe & novit ille, & in multis ſuarum Epiſtolarum locis agnovit.

Habes, vir amiciſſime, quid ſentiam de iis quæ in N. T. adhuc auſus eſt Cl. Bentleius: ſingulatim ejus conjecturas ad examen revocavi, meumque hujus judicio, fidentior forte quàm decuit, oppoſui: illius gloriæ tantis laboribus partæ nec invideo nec obeſſe volo: neminem novi, qui ad hoc tam arduum opus conficiendum aut ingenio, aut doctrinâ, aut MSS ſit inſtructior: ſed ſi nimium arroganter omnia velut certiſſima proferat, in ſuſpicionem erroris etiam ea, quæ veri ſint ſimillima, adducet: ſin quid indiligenter tractet, ſuæque apud literatos authoritati nimium tribuat, fieri non æquum eſt, ut quæ ille otiosè ſcripſerit, nos etiam

otiosè

otiosè legamus. Quare illum leniter fideliterque à ſuis neceſſariis monendum velim, ne quid deſidiosè, ne quid properè, ne quid ſine ſubacto judicio in ſacris libris emendandis ſtatuat: monere enim, priuſquam inceperit quis, ſatius eſt, quàm culpare, poſtquam finierit: hoc inimici eſt fortaſſe, illud certè amiciſſimi.

Sed vereor ne longior ſim, quàm aut res poſtulat, aut patitur Epiſtolarum ratio: me commendatum velim celeberrimo——— quo & amico & medico olim apud vos ægrotans uſus ſum: magni ille & ſuos & ſuorum opiniones facit, quare meâ cum bonâ veniâ has illi literas communicabis. Brevi, quæſo, mihi reſcribas quid tu de his & aliis rebus ſentias, quidque apud vos novi aut in Re Politicâ aut Literariâ agatur: Vale, memorque eſto mei, qui ſum (interjecto licèt mari) animo tibi ſemper præſens, & devinctiſſimus.

Dabam Londini
Calendis Decembr. 1720.

AD

AD EUNDEM

EPISTOLA ALTERA.

GAUDEO equidem, Vir Amiciſſime, meas literas tibi in manus tutò veniſſe, eaſque, quas mihi reſcribere dignatus es, ad me tam brevi delatas eſſe: unum hoc me dolet Vos iiſdem, quibus Nos, fortunæ vicibus jactari: Veſtræ enim gentis calamitates (Noſtris heu! ſimillimas) iis coloribus depingis, tantâ cum eloquentiâ & patriæ ſimul amore luges, ut eas mihi videor non ſolùm audire, ſed cernere; non ſolùm cernere, ſed iis intereſſe: Bene igitur de literatis meruit Wetſtenius veſter, cujus prælum (ut ais) tam otioſo licèt & alieno tempore non feriatur, ſed in Ciceronis operibus ornatè & accuratè (utì tantum ſcriptorem videri decet) edendis laborat: ſemper enim Hunc amavi, optimum & Oratorem & Philoſophum: ſemper hunc in manu, penè etiam in mente habeo: equidem dubito, plúſne ille rhetoricæ figuris, an argumentorum pondere valeat; magiſne nos moveat, an doceat; aptiórne ſit ad delectandum ornatu, an veritate eorum quæ dicit. Mihi ſanè tantopere placet, ut alii (nec mediocres ipſi authores) minùs incipiant placere: Unum hunc exiſtimo Romanæ Eloquentiæ patrem, unum ſanioris philoſophiæ magiſtrum, unum rerum & ab aliis & à ſe geſtarum dulcem eundemque perſpicúum enarratorem. Semper illum legens mihi loquentem videor audire: totus in illo ſum, nec ad alias cogitationes me traduci facilè patior. Cùm ad ea, quæ ſcripſit, animum adverto, in conſpectum Conſularis illius viri arbitror me veniſſe, revereorque, tanquam præ-

ſentis,

ſentis, tum gravitatem hominis & ſapientiam, tum ingenium & doctrinam. Si quid vitioſi habet Ciceronianum ſcribendi genus (ut ſunt nonnulli, qui ei prolixè nimis omnia enunciata exprobrant) non ſolùm patienter, ſed & lætè in illo verſor, nec tam felicem omnium rerum exornatorem citò à me dimitto. Diutiúſne loquitur? diutius me delectat: res eaſdem diverſis verbis, ſed ornatis omnibus, exprimit: nec id idem facilè appelles, quod alio prorſus modo tam bellè depictum videmus. Volo, fateor, volo in optimis ſcriptoribus aliquid ſe nimium profundat: ſi in iis eſt, unde aliquid amputandum ſit, at fœcunditas illa quæ laborem legentis auget, auget certè & voluptatem. Cùm igitur hoc animo in illum Scriptorem ſim, cùm mihi ſemper in deliciis ſit, nec ille majorem in ſcribendo voluptatem perceperit, quàm ego in illo legendo; bene intelliges, quas & quantas gratias habeam Clariſſimo noſtro Bentleio, qui tantum de Cicerone, Ciceroniſque amantibus meruit in ſuis ad Tuſculanas diſputationes Emendationibus. Illas ſæpe perlegi, ſæpiùs etiam perlecturus; in illis enim & eloquenti Oratori dulcedinem, & gravi Philoſopho ratiocinandi perſpicuitatem paſſim ferè reſtituit. Quot, quantiſque Orationis morbis & argumentandi vitiis jam levatus eſt egregius iſte Scriptor? quàm ſui ſimilis jam intellectui legentium patet? quàm per omnia prope tandem videtur voluiſſe eſſe etiam iis, qui non ſunt eruditiſſimi, familiaris? Sed de Cicerone iiſque, quorum ope jam emendatior prodit, ſatìs eſt: Ad tuas literas redeo.

Dicis te valdè ea probare quæ contra magni Bentleii conjecturas in ſuperiori meâ Epiſtolâ attulerim: unum tamen excipis, quod tibi non ita ſanum videtur. Si quid peccârim, excuſationem paratam habeam; velim enim credas me facilitate potiùs quàm aliâ ullâ culpâ meâ in eum ſermonem incidiſſe, tibique, magìs ut Amicitiam meam quàm Me oſtentem, hortanti non defuiſſe. Sed quid eſt id, quod in dubium vocas? quid eſt, quod tibi pene cum aſſentandi ſuſpicione meum judicium probanti non ſatìs placet? Nempe ais te meis rationibus penitus adductum eſſe, ut arbitrareris Clariſſimum Bentleium Gal. cap. iv. Comm. 24, 25, 26. ad examen non ſatis revocâſſe; meamque conjecturam te magni voluiſſe facere, ſi exemplo aliquo probâſſem poſt μία μὲν alibi in fine ſententiæ ἡ ἢ ſecutum eſſe. Quid ſi nullibi hoc occurrit

currit loquendi genus? Nihilne *ſemel* (ut vocant) *dictum* legimus in ſacris ſcripturis? Tu quidem (quâ ſcientiâ es) non ignoras, vir chariſſime, Judæorum Græcâ linguâ utentium morem eſſe, aliter ſæpe loqui, quàm ſe exprimunt Iſocrates & Xenophon, aliter quàm Atticæ elegantiæ ratio videtur poſtulare: in optimis Græcis ſcriptoribus poſt μία μὲν habes ἑτέρα δὲ, in ſacris verò Evangeliſtis & Apoſtolis poſt μία μὲν occurrit ſæpiſſime μία δὲ: ſed & ἡ δὲ vice ἑτέρα δὲ poſterioribus hiſce non inuſitatum videtur: cùm enim in Marc. xiv. 19. & Joan. viii. 9. dicitur, Εἷς καθ' εἷς, vox καθ' (vocali omiſsâ propter ſequentem vocalem, & literâ τ in θ mutatâ propter aſperum ſpiritum vocis ſequentis εἷς) mihi ſanè, ut multis aliis, videtur poſita eſſe pro κατὰ, & id etiam pro duabus vocibus κὴ ἕτα; cum hoc (inquam) inter multos Lexicographos facile conſtat, opinor equidem Apoſtoli Pauli verba, quæ occurrunt in Rom. xii. 5. Ὁ δὲ καθ' εἷς ἀλλήλων μέλη ſic interpretanda eſſe, *alter autem & deinde alter ſui invicem ſunt membra.* Habes igitur hoc in loco voces ὁ δὲ oppoſitas voci εἷς: nec deeſt alius etiam locus, quo confirmari poſſit hanc loquendi formulam Judæis Græcè loquentibus non ignotam eſſe: in tertio enim Maccabæorum libro ſic ſcribit Hiſtoricus ille (quiſquis fuit, quanquam Judæi alicujus in Alexandriâ habitantis id opus fuiſſe videtur) ὁ δὲ καθ' εἷς (ſic enim cenſeo legendum, non ὁ καθ' εἷς δὲ) τῶν φίλων ζοιθρωπῶς ὑποχρέων, &c. *alter autem & deinde alter amicorum mœſto vultu clam evaneſcens*, ſive *ſe ſubducens*, &c. Quo igitur modo in duobus hiſce exemplis ὁ δὲ præcedit vocem εἷς, eodem etiam ſequi poteſt: nec aliter Apoſtolus noſter in epiſtolâ ad Galatas loqui putandus eſt, cum dixit μία μὲν & deinde ἡ δὲ, quàm iſtius Maccabæorum libri Autor, & ipſe D. Paulus ſe exprimunt, quum hâc locutione ὁ δὲ καθ' εἷς utuntur.

In fine tuarum literarum me hortaris, ut quas meas de ſacris ſcripturis Conjecturas habeam, in medium proferam: nempe dixeram in ſuperioribus literis me multa *in Commentariolis meis jau diu notata ſervare:* Equidem deprehenſum me video, meiſque verbis quaſi irretitum: inſtas enim iterum atque iterum ut ea ex ſcriniis temere nimis educam, quæ ibi jam diuturno eodemque tuto domicilio fruuntur. Sit neganti mihi, precor, venia; des hanc excuſationem tuum judicium non quidem reformidanti, ſed reverenti. Quid enim? ſi mihi mea nonnihil placeant, tibi fortaſſe

taſſe non item: laboro de meâ apud te exiſtimatione; nolim tibi aut ineptus aut inſcitus videri: cur igitur vis me tantum amicitiæ tribuere, ut velim ei etiam cum famæ diſpendio ſervire? Nec ſum Ego unus ex Criticorum illuſtrium numero; nervi me tentantem deficiunt, ſentioque tum acumen ingenii, tum eruditionis copiam mihi multum deeſſe. Quid igitur faciam, quò me vertam, neſcio: tibi enim vix libet obſequi petenti, ut id agam, in quo inſolens eſſe videbor; minus autem libet iſtam orationem defugere, quò tuæ preces me inclinant & quodammodo impellunt: tu apud me vales non authoritate ſolùm, ſed etiam voluntate; meumque eſt ſemper ad id opus deſcendere, quod ſignificas te Velle à me ſuſceptum eſſe: quanto igitur magìs, cum jubes, omnique tuâ authoritate pugnas, quo minùs hoc onus tam arduum, quàm periculoſum mihi impoſitum effugiam? Hoc igitur ingredior ad ea, quæ vis, fidentiùs, quod ſpero me viſurum eſſe, ſi non gravatè, certè non libenter, tuo magìs judicio inductum, quàm meo ſtudio hunc ſermonem inſtituere. In Epiſtolis ſolis Apoſtoli Pauli cæterorumque Apoſtolorum jam verſabor, quæ de reliquis Novi Teſtamenti partibus corrigendis conjeci in aliud forſan tempus dilaturus. Imò ne corrupta ea Epiſtolarum loca, quæ MSorum ope emendari poſſunt, libet jam tractare: nihil non prorſus meum proferam, nihil quod non conjecturâ ſolâ nititur. In tres autem claſſes meas emendationes (ſeu potiùs incertas conjecturas) tribuam: quarum prima continebit ea loca, ubi verba quædam in textum temere recepta fuiſſe mihi videntur; ſecunda ea, ubi mutatus ordo verborum ſenſum (ut conjicere eſt) mutavit; tertia ea, ubi Apoſtolorum verba jam diuturnitate temporis in alia prorſus corrupta & vitioſa videntur abiiſſe. Interim te præmonitum velim, me nihil certi, ſed conjecturas tantùm proferre: non is ſum, qui mihi ita placeo, ut non me ſæpius videam errantem, ut non ſemper putem humanum eſſe, imprimis verò Meum eſſe, errare. In ſcripturis ſacris (dicam equidem quod ſæpe mecum cogitavi, ſemperque aliis cogitandum cenſeo) etiam qui certiſſimam emendationem protulerit, ſi idem eam certiſſimam eſſe declarat, impudentiæ nomen vix effugiet. Ubi enim probi & verecundi animi indicia quærimus, ſi non in iis, unde omnis noſtra pendet, à quibus omnis noſtra, tanquam rivulis, deducitur Religio? Ad divinum verbum legendum, multo magis emendandum,

oportet

oportet Criticos humiliter cauteque accedere: hîc audere eſt peccare, arrogantem ſe gerere eſt impius eſſe: tanti enim res momenti non ſunt levi (ut aiunt) manu movendæ: nec modeſtus Chriſtianus poteſt eſſe idem audax Criticus: ſed jam tempus eſt ut ſingula illa loca Epiſtolarum proferam, ubi voces, una aut plures, in textum temerè receptæ eſſe mihi videntur.

1. §. Rom. i. 31. Ἀσυνέτους, ἀσυνθέτους, &c. forte delenda eſt vox ἀσυνέτους, qui enim carent intelligentiâ, improbi non ſunt: at dices forte vocem ἀσυνέτους poſſe ſignificare eos qui libenter ſunt inſipientes: fateor; ſed notandum eſt Paulum ſic argumentari; quia ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία, com. 21. ideo Deus eos tradidit ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα com. 28. Deinde Paulus com. 29, &c. plurima genera hominum contra Ethicam agentium memorat. Num igitur cenſes ἀσυνέτους ab illo inter male agentes recenſeri?

Rom. ii. 28. Οὐδὲ ἡ ἐν τῷ φανερῷ, ἐν ϛαρκὶ, περιτομή. Voces ἐν ϛαρκὶ puta additas fuiſſe in margine MSorum, ut interpretamento eſſent vocibus ἐν τῷ φανερῷ: bene exprimunt ſenſum loci, ſed in textum ipſum non opus eſt, ut recipiantur, cum eodem jure hîc deeſſe poſſunt, quo deſunt in ſuperiore parte ſententiæ.

Rom. viii. 21. Ἐπ' ἐλπίδι, ὅτι κὴ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσε) ἀπὸ τ δουλείας, &c. Voces ἡ κτίσις non eſſe ab Apoſtoli manu profectas conjicio: additæ videntur olim fuiſſe in margine, ut oſtenderent ad quod ſubſtantivum vox αὐτὴ referri deberet. Si com. 20. includas in Parentheſi, com. 19. ſic cum 21. conjungetur, Ἡ γὰ ἀποκαραδοκία τ κτίσεως τ ἀποκάλυψιν τ υἱῶν Θεῦ ἀπεκδέχε) (τῇ γὰ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη, ἑκοῦσα, ἀλλὰ διὰ τ ὑποτάξαντα) ἐπ' ἐλπίδι, ὅτι κὴ αὐτὴ ἐλευθερωθήσε) ἀπὸ τ δουλείας, &c. Vides, opinor, jam ſatis per ſe claram eſſe ſententiam, ſine hoc (quod marginis eſſe cenſeo) vocum additamento.

Rom. xiv. 13. Τὸ μὴ τιθέναι πρόσκομμα τῷ ἀδελφῷ, ἢ ϛκάνδαλον. Delendæ ſunt forſitan hæ duæ poſtremæ voces: mihi quidem videntur è Gloſsâ huc veniſſe, videoque tandem eas verſionem Syriacam omiſiſſe: bene exprimunt ſenſum vocis πρόσκομμα, ideoque (puta) margini MSorum veterum appoſitæ erant. Cur non idem hîc contigiſſe ſuſpicemur, quod certè contigit com. 21° hujus capitis? Cum enim ibi vulgò legimus, μηδὲ ἐν ᾧ ὁ ἀδελφός ϛ προσκόπτει, ἢ ϛκανδαλίζε), ἢ ἀσθενεῖ, MS Alex. verſioneſque Copt. Syr. & Æthiop. necnon Orig. & Auguſtinus delent omnia

poſt vocem προσκόπτει, utpote in textum temere adducta ex margine, ubi bene interpretamenti uſibus ſerviebant.

Rom. xv. 15. Ὡς ἐπαναμιμνήσκων ὑμᾶς διὰ τὴν χάριν τὴν δοθεῖσάν μοι ὑπὸ τοῦ θεοῦ. Quid eſt, quod illis in mentem velit venire Apoſtolus? ſilet prorſus hâc in re Paulus, hiantíque ſimilis eſt ejus ſententia. Quod ſi deleas vocem διὰ, bene intelliges quo ſenſu hæc verba protulit divinus ſcriptor: ſic opinor vertendum eſſe locum, *ut vobis in memoriam revocans gratiam, quæ mihi data eſt à Deo.* Hoc eſt, audaciùs ego vobis ſcripſi, quia vos memores feci me Dei gratiâ miſſum eſſe, ut inter Ethnicos evangelium prædicarem. Verbum ἐπαναμιμνήσκω regit binos caſus Accuſativos, quo modo ἀναμιμνήσκω in 1 Cor. iv. 17. Ὃς ὑμᾶς ἀναμνήσει τὰς ὁδούς μου τὰς ἐν χριστῷ. Video verſionem Copticam delere vocem διὰ, & vertere ὑπὸ τοῦ θεοῦ *per Deum:* forte nonnulli codices olim legebant & διὰ τοῦ θεοῦ, & ὑπὸ τοῦ θεοῦ, alterâ harum lectione vel ſupra lineam vel in margine notatâ: unde fieri potuit, ut lectio varians διὰ tandem in textum ipſum & in alienam prorſus textûs partem reciperetur.

1 Cor. i. 12. Ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου, ἐγὼ δὲ Ἀπολλῶ, ἐγὼ δὲ Κηφᾶ, ἐγὼ δὲ Χριστοῦ. Ignoſcéſne mihi opinanti iſta verba ἐγὼ δὲ χριστοῦ delenda eſſe? Equidem nihil affirmo, ſed de verâ loci lectione multum dubito: omnes certè Corinthii Chriſtiani ſe diſcipulos Chriſti profeſſi ſunt: hic communis illorum etiam, qui in diverſa ſtudia abierunt, magiſter fuit: de iis opinor ſolis, per quos Chriſtum didicerant, ipſi inter ſe diſceptabant: putáſne partem aliquam eorum jactâſſe ſe didiciſſe à Chriſto, partem verò ſe non à Chriſto, ſed à Petro, aut Paulo? Nequeo ſanè intelligere, quî fieri potuit, ut cùm unus ex Corinthiorum numero ſe diſcipulum Chriſti nominârat, alter ſe opponeret, jactaretq; ſe diſcipulum cujuſdam Apoſtoli fuiſſe. Quod ſi delere liceat verba ἐγὼ δὲ χριστοῦ, omnia ſana, omnia planè enunciata invenientur. Senſus enim erit: Corinthii nonnulli gloriati ſunt ſe didiciſſe Chriſti evangelium à Paulo, nonnulli à Petro, nonnulli ab Apollo: omnes eundem Chriſtum didicerant, ſed unus Paulum ſuum doctorem prætulit cæteris, alter verò Petrum pluris fecit, quam aut Apollo aut Paulum. Hanc meam conjecturam ſequentia verba videntur firmare; ſic enim in com. 13. interrogat Paulus. Μεμέρισται ὁ χριστός; q. d. habétne Chriſtus

Chriſtus diverſos Apoſtolos, qui contraria opera agunt? An non idem eſt Chriſtus, quem Apoſtoli, ſive Paulus, ſive Petrus, ſive Apollos, prædicant? Si qui tum Corinthi erant qui ſe diſcipulos Chriſti vocabant, opinor iis Apoſtoli quæſtionem *diviſúſne eſt Chriſtus* non convenire: quia hi Chriſtum adeò non dividebant, ut eum ſolum ſe ſecutos profiterentur: bene verò ſe habet Apoſtoli quæſtio, ſi eos tantùm reſpicit, qui ſe ſingulorum Apoſtolorum nomine inſigniri voluerint. Adde quòd D. Paulus in hujus Epiſt. cap. iii. com. 22. ad hunc ipſum locum videtur alludere: dicit enim, Εἴτε Παῦλος, εἴτε Ἀπολλὼς, εἴτε Κηφᾶς ὑμῶν ἐστιν· ὑμεῖς δὲ Χριστοῦ: hic numerat tres magiſtros, à quibus ſe appellârant Corinthii; de Chriſto verò utpote quarto ſilet: ſolum illum memorat tanquam ad quem & Apoſtolici & noſtri omnes labores referri debeant. Sed multo magìs meæ conjecturæ faveat id, quod in 1. Clementis Epiſtolâ, cap. 47. ſcriptum invenio, Ἀναλάβετε τὴν Ἐπιστολὴν τοῦ μακαρίου Παύλου τοῦ ἀποστόλου· Τί πρῶτον ὑμῖν ἐν ἀρχῇ τοῦ εὐαγγελίου ἔγραψεν; ἐπ' ἀληθείας πνευματικῶς ἐπέστειλεν ὑμῖν περὶ αὐτοῦ τε, καὶ Κηφᾶ, καὶ Ἀπολλῶ, διὰ τὸ καὶ τότε προσκλίσεις ὑμᾶς πεποιῆσθαι. Hîc Sanctus Clemens ad ipſum, quem tractamus, locum Pauli reſpicit: tres illos doctores Corinthiorum nominat, diſſenſioneſque ab iis, qui ſe horum diſcipulos jactarent, factas memorat; de iis verò, qui ſe Chriſti diſcipulos vellent eſſe, prorſus nullum eſt verbum; eorum tamen (utì par eſt credere) mentionem feciſſet, ſi in ſuis temporibus voces ἐγὼ δὲ Χριστοῦ pro parte ſacri textûs haberentur.

1 Cor. xii. 28. Ἔπειτα δυνάμεις, ἔπειτα χαρίσματα ἰαμάτων, ἀντιλήψεις, κυβερνήσεις, γένη γλωσσῶν. Ad voces ἀντιλήψεις, κυβερνήσεις explicandas quis commentator non fidens acceſſit? Quis eſt tamen ferè, quem non in iis videmus fruſtra ſudare, ne dicam nugari? Sunt qui, ut hæc verba explicent, duo in Eccleſiâ conſtituunt officia ab Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum officiis diverſa: ſunt autem qui his verbis deſignari volunt duo ex illis notis & indubitatis in Eccleſiâ officiis. Ego interim voces ἀντιλήψεις & κυβερνήσεις diu in ſuſpectarum numero poſui; fortaſſe huc irrepſerunt è margine, ubi appoſitæ erant utræque ad explicandam duobus modis vocem δυνάμεις: Vox δυνάμεις (quæ ſignificat hîc *miracula*) nonnullis, puto, olim videbatur ſignificare *auxilia*, ut in 2 Cor. xii. 9. unde forte ſcripſerunt in margine codicum ἀντιλήψεις, quæ vox hunc

hunc ſenſum habet in Act. xx. 35. Nonnullis verò olim videbatur ſignificare *imperia*, ut ſignificat in Rom. viii. 38, unde eam forte explicârunt per marginalem vocem κυβερνήσεις. Ex incertâ ſcilicet ſignificatione vocis δυνάμεις binas has voces in margine natas opinor: & ex margine in textum facilis fuit hîc, ut alibi, tranſitus. In eaque magis ſententiâ ſum, cùm video Apoſtolum noſtrum in com. 29, 30 omnes partes hujuſce com. 28. repetere, exceptis his duabus; quas tamen, vix dubito, quin ſi ille in com. 28. ſcripſiſſet, in com 30. denuo aut iiſdem, aut idem ſignificantibus verbis protuliſſet.

2 Cor. i. 4. Εἰς τὸ δύνασθαι ἡμᾶς παρακαλεῖν τὰς ἐν πάσῃ θλίψει. Delendam cenſeo vocem πάσῃ, quæ mihi videtur huic loco malè hærere, & ex ſuperiore parte ſententiæ huc adductam fuiſſe: *ut nos poſſemus conſolari illos qui ſunt in omni afflictione*, imò cur non & illos qui ſunt in aliquâ, qui ex unâ ſolâ parte miſerabiles ſunt? Legas modò locum, & hanc meam ſuſpicionem non temerè natam forſitan agnoſces.

2 Cor. ix. 8. Ἵνα ἐν παντὶ πάντοτε πᾶσαν αὐτάρκειαν ἔχοντες περισσεύητε εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθόν. Hîc etiam ſuſpicor vocem ἔργον ex margine codicum in ſacrum textum incidiſſe; quod eò vehementiùs ſuſpicor, quò magis hanc vocem video mentem Apoſtoli evertere: *ut in omni ſemper omnem ſufficientiam habentes abundetis in omni bono*, quid? opere: opinor Apoſtolum non hoc velle; ſed *in omni* quod vocatur fortunæ *bono*, ſc. in omnibus divitiis. Nempe hìc Paulus hortatur Corinthios, ut largi ſint ad pauperes Judæos facultatibus ſuis ſublevandos, docetque Deum poſſe eos ita ditare, ut omnibus opibus abundent. Sic ſacri ſcriptores ſæpius per τὸ ἀγαθὸν divitias propriè dictas ſignificant, ut in Matt. vii. 11. Luc. xii. 18, 19. & ſic Paulus ipſe voce utitur in Gal. vi. 6. Eph. iv. 28. Quod cùm ignorarent Librarii, aut ſiqui alii indocti, vocem ἔργον videntur vel ſupra lineam vel in margine poſuiſſe ad ſupplendum id, quod ipſi ſenſum fuiſſe vocis ἀγαθὸν crederent. Com. 9. & 10. in Parentheſi incluſa, & com. 11. huic loco connexum hanc meam conjecturam firmat; ibi enim patet Apoſtolum loqui, ut hîc in com. 8. de divitiis, non de operibus bonis. Videoque jam verſionem Copticam mecum conſentire, cui (ut plerumque ſolet) forſitan reſpondiſſet MS Alex. niſi in toto hoc capite infeliciter defeciſſet.

2 Cor.

2 Cor. x. 11. Οἷοί ἐσμεν τῷ λόγῳ δι' ἐπιστολῶν ἀπόντες, τοιοῦτοι καὶ παρόντες τῷ ἔργῳ. Voces δι' ἐπιστολῶν mihi quidem videntur interpolantis manûs indicia habere: patet enim ex com. 9. & 10. Paulum de Epistolis suis loqui: quocirca bene hinc abesse possunt: at cùm per vocem λόγῳ (non observatâ simul voce ἀπόντες) liceret intelligere aut vocem loquentis, aut verba scribentis, aliquis forsitan adjecit δι' ἐπιστολῶν, ut non alium quàm posteriorem hunc sensum vox λόγῳ haberet.

Eph. ii. 5, 6. Ἡμᾶς συνεζωοποίησε τῷ Χριστῷ, χάριτί ἐστε σεσωσμένοι, καὶ συνήγειρε, &c. Ni multum fallor, voces χάριτί ἐστε σεσωσμένοι delendæ sunt: ex principio com. 8. in hunc locum, tanquam alienam possessionem, injuriâ videntur venisse: lege totum locum, & invenies, opinor, quàm nitorem & ordinem sententiæ turbent hæ voces, dissociantes verba συνεζωοποίησε & συνήγειρε ejusdem temporis, & per copulativam καὶ sibi conjuncta. Tandem video Chrysostomum has voces, ut omittendas censueram, omisisse.

1 Pet. i. 11. Ἐρευνῶντες εἰς τίνα ἢ ποῖον καιρὸν ἐδήλου τὸ ἐν αὐτοῖς πνεῦμα Χριστοῦ. An non satis fuit dicere εἰς τίνα καιρὸν, omissis vocibus ἢ ποῖον? Equidem sic arbitror: cum vero vox τὶς incertæ sit sæpius significationis, aliquis videtur adjecisse ἢ ποῖον, ut vox τὶς non alium quàm *quale* sensum hîc haberet. Porrò hanc meam conjecturam firmant versiones Syr. & Copt. quæ unum solum verbum interpretatæ sunt.

2. §. Sed de iis satis dixi, quæ mihi videntur sacris N. T. libris addita esse; quibus in locis ordo verborum ita mutetur, ut ea nullum præ se sensum, aut incommodum sanè ferre opiner, jam dicturus sum.

Rom. xiii. 4. Θεοῦ γὰρ διάκονός ἐστιν, ἔκδικος εἰς ὀργὴν τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι. Hoc ordine puto voces legendas, Θεοῦ γὰρ διάκονός ἐστιν εἰς ὀργὴν, ἔκδικος τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι: in principio enim com. dixerat Apostolus Θεοῦ γὰρ διάκονός ἐστιν εἰς τὸ ἀγαθὸν; ut igitur paria paribus respondeant, in fine com. εἰς ὀργὴν conjungi debet cum voce διάκονος. Quid sibi velit ἔκδικος εἰς ὀργὴν, prorsus nescio; sed in novo hoc verborum ordine, & sanum sensum & Græcè loquendi rationem agnosco. Addamne ad fidem meæ conjecturæ faciendam, versionem Arabicam non aliter ordinem verborum instituisse, & MSS Clar. & Ger. εἰς ὀργὴν post ἔκδικος omisisse?

1 Cor.

1 Cor. xiv. 18, 19. Εὐχαριστῶ τῷ θεῷ μου, πάντων ὑμῶν μᾶλλον γλώσσαις λαλῶν· ἀλλ' ἐν ἐκκλησίᾳ θέλω πέντε λόγους διὰ τοῦ νοός μου λαλῆσαι, ἵνα καὶ ἄλλους κατηχήσω, ἢ μυρίους λόγους ἐν γλώσσῃ. Neminem bonum ſcriptorem cenſeo voce μᾶλλον cum caſu Genitivo in hoc ſenſu uſum eſſe: certè nullibi hanc loquendi formulam invenies aut in LXX aut in N. T. Adde, quòd θέλω ἤ pro *malo* mihi ne Græcum videtur: memini, fateor, codicem Romanum LXX ſic locum Oſeæ cap. vi. com. 6. exhibere, ἔλεον θέλω, ἢ θυσίαν; ſed ibi in MS Alex. meliùs legitur, non ἤ, ſed καὶ οὐκ, ut propriè ſignificat vox Hebraica *Velo:* ad eundem modum omnes veteris Teſtamenti verſiones locum Oſeæ interpretatæ ſunt; nec aliter eum Chriſtus in Evangelio Matthæi citavit. His rationibus adductus ſic totam ſententiam refingendam velim: Εὐχαριστῶ τῷ θεῷ μου, πάντων ὑμῶν γλώσσαις λαλῶν· ἀλλ' ἐν ἐκκλησίᾳ θέλω πέντε λόγους διὰ τοῦ νοός μου λαλῆσαι ——, μᾶλλον ἢ μυρίους λόγους ἐν γλώσσῃ. Nunc ſana ſunt, opinor, omnia: ſenſus facilè apparet, nihilque contra leges Græcæ linguæ peccatur: Meæ certè conjecturæ favent MS Mag. 1. & verſio vulgata: vocem enim μᾶλλον in com. 18. penitus omittunt, quo modo etiam Ambroſius & Scholiaſtes ſub nomine Hieronymi: porrò omnes veteres verſiones habent *potiùs* ante *quàm* in com. 19. Sed & verſio Æthiopica (utut aliis in locis valdè corrupta) veram hujus loci lectionem vidit, cùm vocem μᾶλλον in com. 19. per *potiùs* redderet, & in com. 18. prorſus omitteret.

2 Cor. v. 5. Ὁ δὲ κατεργασάμενος ἡμᾶς εἰς αὐτὸ τοῦτο, θεός. Nullibi in N. T. vocem κατεργάζεσθαι cum accuſativo caſu perſonæ invenio: nec ſignificat hæc vox (id quod pro ſenſu loci exhibent verſiones) *fecit*, aut *condidit*. Equidem ſic opinor verba ordine diſponenda, ὁ δὲ κατεργασάμενος εἰς ἡμᾶς αὐτὸ τοῦτο, Θεός. Sic Græcæ linguæ ratio ſervatur: etenim κατεργάζεσθαι εἰς ἡμᾶς eſt *operari in nobis:* notum eſt enim omnibus penè literatis præpoſitionem εἰς pro ἐν ſæpiſſime uſurpari ſolere; eodem igitur modo, quo hîc, locutus eſt D. Paulus ad Rom. vii. 8. ubi legimus, ἡ ἁμαρτία κατειργάσατο ἐν ἐμοὶ πᾶσαν ἐπιθυμίαν. MS Alex. deficit hoc in loco; ſed verſio Coptica (ei paſſim ferè reſpondens) eo, quo velim, modo verba ordinat, ſic enim locum interpretatur, *Qui autem hoc operatus eſt in nobis, ipſe Deus eſt.*

2 Cor. xii. 6. Φείδομαι δὲ, μή τις εἰς ἐμὲ λογίσηται ὑπὲρ ὃ βλέπει με,

μέ, ἢ ἀκούει τι ἐξ ἐμοῦ. Ut ſe jam habet ſententia, vereor ne non Græcè ſatìs loqui videatur Apoſtolus. Quid enim ſignificat λογίζεσθαι εἰς τίνα? mihi quidem parum placet hoc loquendi genus, non alibi in N. T. occurrens, nec ſanum ſatìs ſenſum exhibens. Hìc igitur etiam ordinem verborum mutandum eſſe cenſeo, ut ſic ſe habeat ſententia; φείδομαι δὲ, μή τις ἐμὲ λογίσηται ὑπὲρ ὃ βλέπει εἰς ἐμὲ, ἢ τι ἀκούει ἐξ ἐμοῦ. *Abſtineo autem, ne quis me exiſtimet ſuprà id quod videt in me, aut* ſupra *quid audit ex me.* Familiare eſt, & uſitatum Paulo dicere λογίζεσθαι τίνα *judicare de aliquo, exiſtimare aliquem*, ut videre eſt in 1 Cor. iv. 1. & alibi: neminique ferè docto ignotum eſſe poteſt voces βλέπει εἰς ἐμὲ ſignificare, *videt in me.* Denique verſiones Vulg. Copt. & Æthiop. ita olim legiſſe videntur, interpretantur enim præpoſitionem εἰς, non ante verbum λογίσηται, ſed poſt verbum βλέπει. Porrò pro ἀκούει τι quod in vulgatis editionibus extat, lego τὶ ἀκούει, ſic enim ordinem ſervat verſio Vulgata, & reddit *aliquid audit*: ſed per τὶ hoc in loco non credo ſignificari *aliquid*, ſed *quid*, ſeu *id quod*, voce ὑπὲρ ſubintellectâ; quaſi dixiſſet Apoſtolus ὑπὲρ ὃ βλέπει εἰς ἐμὲ, ἢ ὑπέρ τι ἀκούει ἐξ ἐμοῦ: ut jam vulgò ſe habet ordo verborum, relativam τι redundat, ne dicam ſententiam conturbat.

Eph. iii. 18, 19. Ἵνα ἐξισχύσητε καταλαβέσθαι, σὺν πᾶσι τοῖς ἁγίοις, τί τὸ πλάτος, καὶ μῆκος, καὶ βάθος, καὶ ὕψος· γνῶναί τε τὴν ὑπερβάλλουσαν τῆς γνώσεως ἀγάπην τοῦ χριστοῦ. Cujus, velim ſcire, rei latitudinem & longitudinem, profunditatem & ſublimitatem cupit Apoſtolus Epheſios comprehendere? ipſe ſanè non dicit, videtur igitur hiatu laborare ſententia. Adde quod ὑπερβάλλουσα τῆς γνώσεως non ſatìs Græca eſt locutio, cùm ὑπερβάλλουσα nullibi, opinor, caſum Genitivum regat: quòd ſi regere poſſit, non video, quid ſignificat γνῶναι τὴν ἀγάπην ὑπερβάλλουσαν τῆς γνώσεως: num hortatur Apoſtolus eos cognoſcere ea, quæ ipſe confitetur cognoſci non poſſe? num hoc dicit quivis ſcriptor ſanus, ne dicam divinus? Quòd ſi locum ſubſtantivi τῆς γνώσεως mutemus, fortaſſe omnia, quæ dura & rudia jam videntur, evaneſcent: ſic autem legendum conjicio. Ἵνα ἐξισχύσητε καταλαβέσθαι, σὺν πᾶσι τοῖς ἁγίοις, τί τὸ πλάτος, καὶ μῆκος, καὶ βάθος, καὶ ὕψος τῆς γνώσεως· γνῶναί τε τὴν ὑπερβάλλουσαν ἀγάπην τοῦ χριστοῦ. Meæ huic conjecturæ

videtur favere versio Syriaca, quæ (quamvis non legit τ῀ γνώσεως post ὕψ῟) omittit tamen eam vocem post ὑπερβάλλουσαν.

Eph. iv. 28. Μᾶλλον δὲ κοπιάτω, ἐργαζόμεν῟ τὸ ἀγαθὸν τ῀ χερσὶν, ἵνα ἔχῃ μεταδιδόναι τῷ χρείαν ἔχοντι. De hâc phrasi ἐργάζεσθαι ἀγαθὸν χερσὶ multum dubito. Usitatum est, scio, sacris scriptoribus dicere ἐργάζεσθαι τὸ ἀγαθὸν *facere id quod bonum est:* usitatum est etiam dicere ἐργάζεσθαι τ῀ χερσὶν *laborare manibus:* sed hæ duæ loquendi formulæ non alibi unà conjunguntur: Legimus, fateor, in Joan. vi. 27. Ἐργάζεσθε μὴ τ῀ βρώσιν *operam cibo impendite:* qui locus huic, de quo agimus, non multum dissimilis esse videtur: sed cùm hîc video vocem χερσὶν additam vocibus ἐργάζεσθαι τὸ ἀγαθὸν, nequeo multum in vulgatâ lectione acquiescere. Certè versiones Vulg. Syr. Copt. & Æthiop. alium ordinem verborum habent, nempe ponunt ἀγαθὸν post χερσὶν; unde sic forte legenda est & distinguenda sententia; μᾶλλον δὲ κοπιάτω, ἐργαζόμεν῟ τ῀ χερσὶν, τὸ ἀγαθὸν ἵνα ἔχῃ μεταδιδόναι τῷ χρείαν ἔχοντι: *potiùs autem laboret operans manibus, ut habeat opes, unde tribuat illi quem necessitas premit.* Et loquitur Apostolus Paulus in 1 Cor. iv. 12. & 1 Thes. iv. 11. verbis iisdem, quibus hîc, καὶ κοπιῶμεν ἐργαζόμενοι τ῀ ἰδίαις χερσὶν, nullo addito accusativo casu post participium ἐργαζόμενοι: Porrò τὸ ἀγαθὸν (ut paulo suprà dixi in 2 Cor. ix. 8.) significat *opes* sive *divitias*, has enim Ephesios hîc hortatur Paulus sequi manibus, non virtutes Christianas. Nec obstat meæ conjecturæ, quòd τὸ ἀγαθὸν præcedat conjunctionem ἵνα, quia fæpissime hoc fit in N. T. ut ex Eph. iii. 18. aliisque multis locis videre est.

3. §. Quid ais tandem, mi vir? nimiúmne me in his ineptiis meis effutiendis putas? Tu me precibus huc impulisti; tibi, ut placerem, hanc scriptionem exorsus sum: quocirca jam, quicquid tædii nostra affert oratio, id omne tibi æquo animo ferendum est. Ad alia enim transeo, quædam prolaturus loca, vbi voces, non additas, non ex unâ parte sententiæ in alteram adductas, sed prorsus corruptas & vitiosas esse suspicor. Libet sanè experiri quid possim in iis emendandis, ubi nulli MSi quidquam sani videntur exhibere; ubi ex me ipso, non ex codicibus, veritas promenda est, si quidem veritatis aliquid conjecturâ assequi valeam. Reminiscere enim me *non Oedipum esse, sed Davum.* Nihil (ut Critici loqui amant) *certo certius* affero, nihil *meo periculo legendum*

gendum volo: ſed velut homo unus è multis, ſi quid novi in textu ſacro videor inveniſſe, id in incerti loco deputo: ſin id novi mihi plus ſolito arridet, ſit probabile, ſit veriſimile; nihil verò meum dignor glorioſo illo *Fixi Certìque* nomine.

2 Cor. vi. 12. Οὐ ϛενοχωρεῖσθε ἐν ἡμῖν, ϛενοχωρεῖσθε δὲ ἐν τοῖς σπλάγχνοις ὑμῶν. Dura quidem & inelegans videtur hæc locutio: quid enim ſignificat, *arctamini in veſtris viſceribus?* ego ſanè per verba ϛενοχωρεῖσθε ἐν ἡμῖν puto Apoſtolum hoc velle: magnam poſſidetis animi noſtri partem, noſtrum cor dilatatur ad vos recipiendos & amore ingenti fovendos: qui ſi ſenſus ſit Apoſtoli, quomodo intelligenda ſunt quæ ſequuntur, ϛενοχωρεῖσθε δὲ ἐν τοῖς σπλάγχνοις ὑμῶν? quid? num arctabantur Corinthii in ſuis ipſorum viſceribus? i. e. num non ſe ipſi multum diligebant? Porrò Apoſtolus in com. 13. ab iis petit τὴν αὐτὴν ἀνταμοιβὴν, i. e. mercedem ex æquo reſpondentem: quid eſt verò, quod reſpondet amori Pauli in Corinthios, niſi amor Corinthiorum in Paulum? Velim igitur ſic locus legatur, ὃ ϛενοχωρεῖσθε ἐν ἡμῖν, ϛενοχωρούμεθα δὲ ἐν τοῖς σπλάγχνοις ὑμῶν: Pulchrum jam Antitheton vocum eſt, & ſenſus Apoſtoli facile ſe explicat. In præcedenti com. dixerat, *Cor noſtrum dilatatur* ſc. ad vos admittendos & amore proſequendos; tum pergit dicere id quod prioris ſententiæ conſequens eſt, *non arctamini in nobis*; ſed *nos arctamur in veſtris viſceribus*, nempe quia illorum corda ſeu viſcera non item dilatabantur; quare in com. 13. ſic concludit τὴν αὐτὴν ἀνταμοιβὴν πλατύνθητε καὶ ὑμεῖς: quæ verba meæ conjecturæ multum favent: quia, ut cùm Apoſtolus dixerat com. 11. ἡ καρδία ἡμῶν πεπλάτυνται, addidit hoc velut conſequens, ὃ ϛενοχωρεῖσθε ἐν ἡμῖν; ſic cùm in com. 13. ſic præcipit Corinthiis, τὴν αὐτὴν ἀνταμοιβὴν πλατύνθητε καὶ ὑμεῖς, videtur non aliud antè dixiſſe, quàm (ϛενοχωρούμεθα) ſe arctari in eorum viſceribus: & hujus quidem lectionis veſtigia adhuc in verſione Copticâ ſervantur, bis enim ibi occurrit vox *affligimur* loco *affligimini*.

Phil. i. 3, 4. Εὐχαριϛῶ τῷ θεῷ μου ἐπὶ πάσῃ τῇ μνείᾳ ὑμῶν (πάντοτε ἐν πάσῃ δεήσει μου ὑπὲρ πάντων ὑμῶν μετὰ χαρᾶς τὴν δέησιν ποιούμενος) Ἐπὶ τῇ κοινωνίᾳ, &c. Mihi hunc locum expendenti omnia ferè turbata videntur: quid enim hoc, ἐν πάσῃ δεήσει τὴν δέησιν ποιούμενος? aut hoc, μετὰ χαρᾶς δέησιν ποιούμενος? aut hoc ἐπὶ πάσῃ τῇ μνείᾳ ὑμῶν? Equidem multum vitii huic loco opinor hærere, quem con-

jecturâ ductus ſic velim legendum, Ἐυχαριςῶ τῷ θεῷ μυ (ὑπὶ πάσῃ τῇ δεήσει μυ πάντοτε ὑπὲρ πάντων, ὑμῶν μετὰ χαρᾶς τ̀ μνείαν ποιούμενος) ὑπὶ τῇ κοινωνίᾳ, &c. MSi hujus meæ Lectionis quædam veſtigia exhibent; ſed ſenſus loci magis me movet, quàm iſtæ in MSis extantes reliquiæ. Vocem ἐυχαριςῶ cum ὑπὶ τῇ κοινωνίᾳ conjungo, cæteris in parentheſi incluſis: & Apoſtolum puto velle dicere, ſe gratias Deo agere, quia Philippenſes huic ſuas divitias communicârunt, ut Judæis inopiâ laborantibus miniſtraretur. Si mea conjectura recipienda eſt, huic geminus propè erit ille locus Pauli in 1 Theſſ. i. 2. Ἐυχαριςοῦμεν τῷ θεῷ πάντοτε περὶ πάντων ὑμῶν, μνείαν ὑμῶν ποιούμενοι ὑπὶ τ̀ προσευχῶν ἡμῶν. Et ille etiam in Epiſt. ad Epheſ. i. 16. Audax nimis eſſem, ſi hanc conjecturam, ita à vulgatâ Lectione abhorrentem, præſtare vellem; ſed (liberè dicam quod ſentio) hæc tam ad mentem Apoſtoli videtur accedere, quàm ab authoritate vulgatæ lectionis recedere.

Phil. i. 23. Τὴν ὑπιθυμίαν ἔχων εἰς τὸ ἀναλῦσαι, καὶ σὺν χριςῷ εἶναι. Dubito, an Græcè dici poſſit ὑπιθυμίαν εἰς τὸ ἀναλῦσαι; videóque præpoſitionem εἰς deeſſe in MSS Clar. & Ger. & apud Chryſoſtomum; unde ſic ſententiam libet refingere, τ̀ ὑπιθυμίαν ἔχων τ̀ ἀναλῦσαι, καὶ σὺν χριςῷ εἶναι: *habens deſiderium revertendi*, &c. Veteres pleræque Verſiones reddunt ἀναλῦσαι *diſſolvi*; ſed activum verbum propriè non reddi poteſt cum ſenſu paſſivo. Cùm nautæ olim ad aliquem portum advenirent, navigium ad littus funibus ligabant: cùm verò poſteà tempus redeundi adeſſet, ſolvebant iterum funes, & ſic retro ferebantur: hoc ipſis vocabatur ἀναλύειν; unde hæc vox (ad alias res tranſlata) ſignificat aut ex itinere terreſtri *reverti*, ut in Luc. xii. 36. aut à terrâ ad cœlum morte *reverti*, eo ſenſu, quo dicitur *Spiritus* Eccleſ. xii. 7. *redire ad Deum qui dederat illum*. Quod autem ad conjecturam meam attinet, obſervandum eſt mutationem τ̀ in τ̀ leviſſimam, ſeu potius nullam eſſe; in vetuſtiſſimis enim tum MSS, tum Marmoribus ο pro ω ſæpiſſimè, pene dixeram ſemper invenimus.

Phil. ii. 13. Ὁ Θεὸς γὰρ ἐςὶν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν. Téne nil movet iſtud ὁ ἐνεργῶν τὸ ἐνεργεῖν? equidem arbitror D. Paulum nunquam hoc modo locutum eſſe: quamvis nihil adjumenti ad veritatem inveniendam nobis commodant MSi, tamen conjecturâ ductus ſic locum legendum opinor: Ὁ Θεὸς γὰρ ἐςὶν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ὑπιτελεῖν.——*& ut velitis*,

& *ut perficiatis.* Num ſenſus aliquid huic ſimile non poſtulat? num hæc conjectura non firmari videtur ab eo, quod iiſdem pene verbis dicit Paulus in 2 Cor. viii. 11. ἵνα, καθάπερ ἡ προθυμία τοῦ θέλειν, οὕτω καὶ τὸ (forte τοῦ) ἐπιτελέσαι ἐκ τοῦ ἔχειν? ibi enim voces θέλειν & ἐπιτελεῖν ſibi invicem opponuntur. Imò hoc ipſo in loco, de quo agitur, verſiones Copt. & Syr. reddunt Græcum verbum per *perficere*, quod eſt ἐπιτελεῖν, non ἐνεργεῖν. Verſio autem Vulgata habet, *Deus eſt, qui operatur in vobis & velle & perficere:* unde illam credibile eſt olim legiſſe ἐπιτελεῖν; vix enim illa redidiſſet idem verbum ἐνεργεῖν in priore loco per *operari in*, in poſteriore verò per *perficere.*

1 Tim. iv. 3. Κωλυόντων γαμεῖν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων. quæ verba ſic redduntur in Bibliis Anglicis, *prohibentium uxores ducere*, & jubentium *abſtinere à cibis.* Scilicet nôrunt noſtri Interpretes ex negativâ voce in primâ parte ſententiæ affirmativam in alterâ poſſe educi, ut ſæpe aliter fit, præſertim in 1 Cor. xiv. 34 Sed hoc, quod verum eſſe fateor tum in prophanis tum in ſacris ſcriptoribus Latinis & Græcis, in hoc commate locum non poteſt habere: ſemper enim vox ἀλλὰ *ſed* aut exprimitur, aut ſubintelligitur in medio ſententiæ, cum ex negantis formulâ vox poſitiva eliciatur, ut in illo 1 Cor. xiv. 34. dicitur Οὐκ ἐπιτρέπεται αὐταῖς λαλεῖν, ἀλλ' ὑποτάσσεσθαι: Sed in hoc Epiſtolæ ad Timotheum loco vox ἀλλὰ nec legitur, nec ſubintelligi poteſt, quia poſtrema pars ſententiæ alia eſt, ſed non contraria priori. Si conjectura placeat, ego ſanè ſic in MSS ſcriptum velim legere, κωλυόντων γαμεῖν, καὶ ἀπεχομένων βρωμάτων: *prohibentium uxores ducere, & facientium abſtinere à cibis.* Hanc, quam tibi offero, conjecturam ut aliquantulum firmem, notandum eſt verſiones Syr. Copt. Arab. & Æthiop. interpretatas eſſe vocem καὶ: deinde cùm verſio Syr. exhibet *prohibentes nubere & abſtinentes à cibis*, verſio autem Arab. *prohibentes matrimonium & amoventes cibos*, utræque mihi videntur legiſſe καὶ ἀπεχομένων, quæ vox forte in ἀπέχεσθαι poſtea ab ignaris temerè mutata eſt, ut copulativa καὶ ſimiles modos conjungeret. Porrò reddidi ἀπεχομένων *facientium abſtinere*, quia hoc ipſum vult verſio Arab. per *amoventes*, & quia ἀπέχω ſignificat *averto* in *Odyſ.* ὁ. Νῆα ἐκὰς νήσων ἀπέχειν ——& apud Plutarch. de defectu Oraculorum οὐδὲν ἀπέχει *nihil prohibet*,

prohibet, quin: & ſic videtur ἀπέχειν ſignificare in Matt. vi. 2. & ἀπέχεσθαι in 1 Theſſ. iv. 3.

1 Pet. i. 2. Κατὰ πρόγνωσιν Θεοῦ πατρὸς ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος, εἰς ὑπακοὴν καὶ ῥαντισμὸν αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ. Fallor ſi in his verbis nihil lateat vitii: cur enim iſtud καὶ copulat ὑπακοὴν & ῥαντισμὸν? Verè dicitur ſanctos electos eſſe ſecundùm præſcientiam Dei *ad obedientiam*, non autem, opinor *ad aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti.* Sed ſi quis dicit eos electos eſſe *per ſanctificationem Spiritûs, & per aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti*, verè hoc dicitur: Aſperſio enim ſanguinis Chriſti non finis, ſed cauſa electionis iſtius eſt. Hâc motus ratione libens reſcripſerim, κατὰ πρόγνωσιν Θεοῦ πατρὸς ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος εἰς ὑπακοὴν, καὶ ῥαντισμῷ αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ; ſc. ἐν ante ῥαντισμῷ ſubintellecto: Hoc arbitror Apoſtolum voluiſſe dicere, videóque tandem verſionem Æthiopicam nihil ab hâc meâ conjecturâ diſcedere.

Sed *de tabulâ* (ut aiunt) *manum*, ne longior ſim in iis rebus, quas nec meum eſt eo acumine ingenii (quo ſolent doctiores Critici) tractare; nec multi homines, iique literati, ſed nimium ſacris libris timentes, à doctiſſimis tractandas facilè concedunt. Incerta (inquiunt) omnia ii faciunt, qui adeò ſuis conjecturis indulgent: at verò nos, ſi veritas ipſa ſpectanda eſt, incerta non facimus, ſed invenimus: aliud certè volumus, nempe ex tenebris lucem proferre, & efficere, ut puriora & caſtigatiora prodeant Apoſtolorum ſcripta. Niſi velint dicere divinam providentiam ita ſacris literis ſemper invigilâſſe, ut nulla iis aut ab inſcitiâ ſcribentium aut ab audaciâ Hæreticorum profecta vitia inſederint. Quòd ſi quis hoc dicat, pii magìs eſt ſententia, quàm ſanè de his rebus judicantis. Etenim nemo tam ſine oculis legit, tam in literis ſacris & profanis hoſpes eſt, ut non multa videat, quæ olim corrupta jam optimorum MSorum ope emendantur. Quod ad N. T. attinet, multis in locis MS Alex. codex iſte & vetuſtiſſimus & integerrimus textum puriorem nobis exhibet, quàm cum exhibuerant anteà vulgares editiones: imò ſolus hic aliquando vitio vacat, ſuamque lectionem, in cæteris MSS non inveniendam, tum ob lucem ſententiæ hinc datam, tum ob rationem Græcæ linguæ ſervatam commendat. Finge igitur illum MS ex aliquâ parte deficere (ut deficit certè in 2 Cor. à cap. iv. com.

13.

13. uſque ad ejuſdem Epiſtolæ cap. xii. com. 7. & alibi;) putáſne illum nihil ſani & ab aliorum MSorum lectionibus diverſi potuiſſe exhibere, ſi nullo infelici defectu laborâſſet, ſi cætera illa prædictæ Epiſtolæ capita nobis ob oculos poſuiſſet? Quòd ſi non unum MS, ſed multos eâ vetuſtate & integritate ſimul inſignes haberemus, num non cenſes aliquas, quæ etiam nunc ſacris libris videntur ineſſe, maculas horum ſero licèt auxilio ablui potuiſſe? Eſt igitur, eſt conjecturis non temerariis ſuus adhuc locus: nec incertum ille textum N. T. reddit, quiſquis ſano vir judicio & ingenio acerrimo orationis vitia primum detegit; dein, ut ad urendum aut ſecandum medici, ſic ad hoc caſtigandi genus cautè ſcienterque accedit.

Hanc non mihi, ſed Criticis dandam veniam puto: quid enim Ego poſſum, quem multitudo varietaſque (ut ſcis) negotiorum pene conficit; cui, ſi non natura & doctrina, certè tempus liberque à potioribus mihi curis animus deeſt? Illa ſemper optabiliora duxi, quæ ad ſapientiam humanam, multò verò magìs divinam, pertinerent: ſemperque ſtatui altioris eſſe animi verum excogitare & civilia omnia officia ritè inſtituere, quàm in ſyllabis vocularum hærere, quàm ad veriſimillimas emendationes deſcendere. Noſtrorum potiùs morum vitia, quàm aliorum ſcriptorum corrigamus; hîc & labor ſummus eſt & palma nobiliſſima: ſed ne hoc feliciter facientem decet ſuperbia: quonam igitur animo feremus Criticorum turbam (ut vulgò ſolet) ſua ſtudia maximis laudibus, aliena ſummis contumeliis proſequentem? Suam Critici artem exerceant; ſi quis ſolito melius quid afferat, laudem meretur, laudem igitur habeat, dummodo non tantam ſibi arrogat, quanta feverioribus utilioribuſque ſtudiis debetur. Equidem tantùm abſum, ut me, aut alium aliquem, his levioribus (prope dixeram nugis) natum exiſtimem, ut continuiſſem me jam ab his conjecturis efferendis, ni tua voluntas authoritaſque, utræque apud me multùm valentes, eas ex ſcriniis meis manibuſque quodammodo extorſiſſent. Vale igitur, & quantum de judicio meo in his rebus detrahas, id omne amicitiæ meæ ſtudioque ſummo tibi obſequendi tribuas.

Dabam Londini
Idibus Januarii.

FINIS.